

que, ideo λοξόν, quod declivem significat, nominaverunt. Atq; in eo sunt haec, quae deinceps ordine memorabimus, signa duodecim, quorum nominibus illius partes insigniuntur.

Aries, græcis κριός est, phruxi, ut uolunt nector.

Hunc sequitur Taurus, dimidiatum signum, unde quaesitum fuit, Taurus ne, an Vacca censeri deberet, & ad Europæ uectarum an Ius potius mutationem referri. Sed obtinuit consuetudo, ut Taurus haberetur, innuit quod dixit, Ouidius in Fastis his uersibus.

Vacca sit an Taurus, non est cognoscere promptum,
Pars prior apparet, posteriora latent.
Seu tamen est Taurus, siue hoc est foemina signo,
Iunone inuita munus amoris habet.

In huius dorso est πλειάς & in ore υός, latine Vergiliae & Sucus dicuntur.

Inter Sucas est λαμπαδίας, Oculum nunc Tauri uocant, & Arabice Aldebaran.

Gemini, id est δίδυμοι, Castor & Pollux putantur. Alij Apollinem & Herculem tradidere. Itaq; in priore stella clara απόλλωνος, in altero ήρακλίου dicitur. Ante harum pedes est & πρόπους.

Cancer καρκίνος. In quo nebulosus uortex praesepere, & iuxta stellae duae Asini nominantur, de quibus certiss. coniecturae tempestatis capiuntur, ut Aratus docuit.

Leo pulcherrimum sydus, in quo multae sunt lucidae stellae, inq; primis nominatur βασιλίσκος, id est regulus nunc, sed & olim cor Leonis.

Virgo παρθένος. In cuius ala septentrionali lucet uindemiator, grecis est περιτρύχης.

In eadem est & σάχης, id est, Spica stella meridionalis.

Libra quae & iugum, græci ζυγός & χιλαι. Nam ueteres brachia Scorpii esse uoluerunt.

Scorpius, in quo est αντάρης, id est stella Martia, nunc uocant cor Scorpii.

Sagittarius τοξότης, sub quo est illud quadrangulum, quod Ptolemæus πτερύγε πλευροφ nominauit, recentiores terebellum.

Capricornus αιγόκερας.

Aquarius, υδροχόος, is tenet υδρίαν seu κάλπω, & infra aqua profluere uidentur, græcis est υδωρ.

Pisces ιχθύς, ubi sunt & λινά seu fila, & ονίδεσμος nodus.

Signa seu simulacra quaeq; imagines uocantur reliqua aut septentrionalia sunt aut meridionalia, pro eo atq; in altero horum hemisphaerio fuerint inuenta. De septentrionalibus priori loco dicemus, ne stellis quidem praeteritis a græcis maxime Ptolemæus celebratis.

Primum locum tenent Vrsae, quarum una maior, altera minor dicitur. Minorem notasse Sidonij putantur, Cynosurae nomen habet, quo significantur uel uulpe & cane editi catuli, uel potius laconicae canes. Calistus autem uenaticam canem hanc aliqui fecere. Maior est Helice cognomento, ut Homerus cecinit, plaustrum, sub qua est coma Berenices, ut Cononi placuit, alij fusos dixere, Ptolemæus πλακίς σοσσοφλώ, nunc Tricam nominant. Draco proprie dictus est ille quasi transcurfus stellarum, quo Vrsae dirimuntur, quem tamen & anguem Virgilius uocauit.

Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis

Circum perq; duas in morem fluminis Arctos.

Hunc de fabulis diuersis, & pythona, & peruigilem custodem hortorum helpe ridum, recentiores audacem nominarunt. Arctophylax qui & Bootes. Seu enim Vrsas illas circa polum effigies dicas signum hoc custodis uel asseclae, siue plaustrum malis bubulci rationem habebit, in eo est clara stella Arcturi. Icarius etiam de quadam fabula, a recentioribus plorans uocatur, Corona septentrionalis, quam Ariade

nea